

dit; Julii mensis die vigesimo octavo tertiâ feriâ Sanctorum Apostolorum Ædis facta est consecratio, & Sanctarum Reliquiarum Andreae, Lucae, & Timothei, qui S. Apostoli, depositio. Episcopus verò Mennas unâ cum Sanctis Reliquiis progressus est vehiculo aureo Imperatoris gemmis exornato vestus: tres autem SS. Apostolorum gestabat loculos supra genua; atque ita dedicationem celebravit. Hinc annus eruitur, quo Maximianus Constantinopolim venit, ipso videlicet 548. ubi cum repertum Corpus Beati Andreae ab Imperatore non obtineret, quod fortè aliàs habere curaverat, impetravit ut saltem cum suis Clericis ad Sacrum Corpus vigilare liceret, qua opportunitate arrepta S. barbam rescindit, quam postmodum, cum aliis Reliquiis Ravennam detulit. Hæc ita conciliari posse crediderim. Cæterum SS. Andreae, & Lucae Reliquias ante multum tempus Constantinopolim certum est ex Achaia fuisse translatas, licet dubitetur, an id factum sub Magno Constantino, an sub Constantio, qua de re agit Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 9. Maji. Subiomatica fuliginis horrorem spirant ea; & revera Fratres, quod si Corpus B. Andreae Germani Petri Principis hinc humasset, nequaquam nos Romani Pontifices ita subjugassent. At quid novi juris Ravennati Ecclesiæ cum Corpore S. Andreae accessisset, ut inde à Romani Pontificis auctoritate eximeretur? Et ipsa Constantinopolitana Ecclesia, quæ aliàs sub Heraclensi fuit, ut aliquo colore recentiores conatus liniret, seque ab initio Romanæ saltem æqualis vendicaret, aliquando ob Andreae Corpus apud se servatum, se, ob id ab initio per eundem Petri Apostoli Fratrem conditam, dicere non dubitavit. Id Ravennati Ecclesiæ præsidii accessarium sensit Noster.

VI. S. Michaelis Ecclesia, quo anno à Maximiano fuerit consecrata, non exprimit Agnellus: finitam, dicatamque ostendit inscriptio Nonis Maji anno 545., at Maximianus nonnisi anni sequentis Octobri sedere cepit, quare Ecclesiæ Encechia minimè celebrari potuerunt ante Majum anni 547. Ita edificatio, & dedicatio distinguntur à consecratione in inscriptione Basilicæ S. Vitalis. Babaudæ, Julianique genus, affinitas, & pietas hinc illustrantur.

VII. Edificatus dicitur Maximiani ævo numerus vicinus Agnelli scribentis domui, qui dicebatur Bandus primus (Bandum pro Bancho, ut corruptè legebatur, posui) non longè à milliario aureo, in cujus tegulis legisse se ait scriptum Maximiani nomen, addito Episcopi Ravennatis elogio. Sibi constat, narratque consonat in vita S. Johannis cognomento Angeloptis, ubi memorat ex ruderibus veteris Palatii à Theodorico edificati, sibi Ravennæ domum edificasse in fundo juris materni, quæ vocabatur domus presbyterialis in regione, quæ dicitur ad Nymphaos juxta Ecclesiam S. Agnetis Martyris, & ab alia parte numero Bando primo non longè à milliario aureo. In confinio itaque regionis ad Nymphaos, & milliarii aurei sita erat domus Agnelli. Sanctæ Agnetis Basilicam in Herculanæ Regione sitam dicunt Rubens, & Faber; ille tamen Ravennam in septem regiones dispersit Asianam, sive Ætiam, Herculanam, Milliariam auream, Summum vicum, Forum Hyppodromi, Marciam, ad Verucem; hic autem in quatuordecim. Porro militare quid sonant numeri, & Bandi nomina, cum infra in vita Felicis temporibus difficillimis, civium ad Patriæ defensionem paratorum exercitum, à Georgio Johannis filio, in supremum Ducem electo, distributum hoc serè pacto intra

A urbem tradit; divisit populum civitatis in undecim partes, duodecima verò pars Ecclesiæ est reservata; unusquisque miles secundum suam militiam, & numerum incedat, idest Ravenna, Bandus primus, Bandus secundus, Bandus novus invictus, Constantinopolitanus, Firmans, Lætus, Mediolanensis, Veronenfis, Classensis, Partes Pontificis cum Clericis, cum honore dignis, & Familia, & Stratoribus, vel aliis subjacentibus Ecclesiis. Et hæc ordinatio permanet usque in præsentem diem. Bandi itaque nomine intelligebantur, uti & nunc in hisce Italiae nostræ urbibus, civium turma sub certo Duce collectæ, quas Bande dicimus, fortè à cujusque turmæ vexillo, quod Bandum dixerit, & nos Bandiera. Porro Ædes cuique numero, sive Bando constructa erat, ubi turmatim milites certo numero, cum opus erat excubias habebant, vel ejusdem Duces rebas pertractandis conveniebant, quod ex hoc loco agnoscimus, sicuti & numeri, sive Bandi primi Ædes, earumque situm. Ut quid autem in ejus tegulis Maximiani Episcopi nomen inscriptum? Arbitror & ad hujusmodi publica opera magnificentiam suam extendisse Maximianum.

VIII. Et hinc fabella de S. Eleucadii Corpore à Constantino Magno Ticinum ad D. Michaelis translato distatur, cum Maximianus laudetur, quod Corpus B. Probi cum cæteris Sanctorum Pontificum Corporibus aromatibus condiderit, & bene locaverit, & in fronte ipsius Ecclesiæ B. Probi, & Eleucadii, & Caloceri effigies apposuerit. Agnello ignota quævis alia Eleucadii translatio, etiam Constantini ætate posterior, de qua si rescripsisset minimè omisisset hic loqui. Vide, quæ suo loco observavi.

IX. Servavit Agnellus ex Opere Historico Maximiani fragmentum, quo non modo novimus eundem inter Ecclesiasticos Scriptores numerandum, sed & illud agnoscimus eum florere ætate Alexandriam navigasse, cum Timotheus Dioscori successor Sedem illam occupabat, quod cepit fieri secundum Baronii calculum anno 519. Itaque tunc Maximianus vigesimum primum ætatis suæ annum agebat, natus anno 498., qui cum ordinaretur anno 546. erat annorum 48. Civile Alexandrinorum bellum, de quo hic Maximianus, motum est ex occasione Dioscori ejus nominis secundi, Anastasii Imperatoris jussu, Johanni prædesuncto suffecti, quem ex eo conabantur excludere, quod nec Alexandrinus, nec juxta Canones à Clero Alexandrino electus fuisset, quare eò res processit, ut tumultu facto Theodosius filius Calliopii Augustalis sit interemptus. Imperator ob id iratus. Acacius magister militum quotquot capere potuit interfecit. Hæc ex Anastasio Baronius ad annum 516. ubi etiam dicitur Dioscorum apud Imperatorem furentem intercessisse pro Alexandrinis. Ex Maximiani autem fragmento habemus Anastasium misso Præfecto Laudicio ex singulis Regionibus Alexandriæ urbis, quadraginta viros in ligno suspendisse, & cum Dioscoro Monachos ex eremo Constantinopolim venisse veniam exorantes. Dioscorum, & Timotheum aliàs hæreticos laudat Maximianus ob ea, quæ in quolibet homine laude digna erant, nec enim ea, quæ ad dogmata minimè spectant, in heterodoxis ceteroquin sana, suo honore fraudari debent, si de his scribendi occasio non studio exquisita, sed ultronea se præbeat. Episcopus ante id temporis ab Alexandrinis occisus Proterius fuit, de quo vide Baronium ad annum 457. Anazarbus minoris Ciliæ urbs primaria quater terræ motu diversis annis concussa narratur ab Evagrion lib. 4. cap. 8. Justino regnante quassatam Augustus ipse resti-